



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

23. Aliæ quæstiones de bonis castrensib. vel quasi castrensib. diluuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**



ita ut in his bonis filius habeat proprietatem, & usufructum, ac proinde plenum dominium: ergo publicis filij familias bonis, castrensis quoque & quasi castrensis censentur publicata.

Nono quaeritur, An quicquid donatum est filiofamilias militi, eo ipso castrense peculium censetur? Bartolus in l. si forte ff. de peculio, distinguit: Aut quod donatum est, aptum & necessarium est ad militiam, ut equus, & arma, & feruus, & tunc nisi contrarium in donatione exprimat, inter castrensis bona computatur, siue a parentibus, siue ab extraneis illud donatum fuerit, l. miles praecipua, §. l. castrensis ff. de castrensi pecul. Aut non est idoneum, & aptum ad militiam, cuiusmodi est fundus, vel alia quaelibet res immobilis, & tunc in castrensis bonis non censetur: quamvis qui legat, vel donat, expresserit nominatim, ut donarius in castrensi peculio habeat, l. si forte ff. de castrensi pecul. ubi sic est: Veritatem enim spectamus, an vere castrensis noritia, vel affectio fuit, non quod quis finxit. Aut quod damnatum est, res est, tum ad militares, tum etiam ad alios quoslibet usus idonea, & tunc est expressit donatum sit in peculio castrensi, in bonis castrensibus incipit annumerari. Si vero simpliciter donetur, & nihil exprimat, castrensi peculio minime aggregatur, nisi damnatum sit ab eo, qui est solum ex militia cognitus, l. si militis ff. de castrensi pecul.

Decimo quaeritur, Quid sit dicendum, si quippiam sit donatum filiofamilias, qui miles non est, & is qui donat, expresserit, ut habeat in castrensi peculio? Bart. in tract. de duobus fratribus, negat hoc sufficere, ut sit castrense peculium, ut eo ipso filii aduentitium, ea tamen lege & conditione, ut patri usufructus non acquiratur: quia licet vitietur id quod exprimitur, non ita tamen quod est tacitum, l. 1. ff. Quibus modis pignus vel hypotheca solvatur.

Vndecimo quaeritur, An praedia, & alia bona immobilia filiofamilias militi donata, in castrensi peculio numerentur? Respondeo, in l. si filiusfamilias. C. familia hereticum da sic esse: si filiusfamilias fuisse, & res mobiles, vel se moventes qua castrensis peculij esse possunt, donata tibi a patre sunt, eas quoque in castrensi peculio non communes cum ceteris fratribus tuis habes. Praedia autem licet cum si ibi in castra filio pater donauerit, peculij tamen castrensis non sunt: diversum tunc ea praedia habentur, quae ex occasione militiae filii familias obveniunt. Haec enim castrensi peculio cedunt. Haec ibi, Et in l. C. de castrensi pecul. lib. 1. legimus. Peculio autem castrensi cedunt res mobiles, quae erant in militia, a patre, vel a matre aliove propinquis, vel amicitia donata sunt. Item quae in castris per occasionem militiae quaeruntur in quibus sunt etiam hereditas eorum, qui non a ias noti esse potuerunt, nisi per militia occasionem, etiam si res immobiles in his erant. Matris autem hereditas quamvis in militia delata, ad peculium castrense non pertinet, in castrensi vero peculio praedium donatum non esse constat, quamvis emptum ex castrensi peculio praedium eius conditione efficiantur. Haec ibi ex quibus perspicitur, res mobiles, cuiusmodi sunt arma, & quae se moventes, ut equus, feruus (nam in l. miles, ff. de castrensi pecul. interest militis feruos habere ad militiam habiles) in peculio castrensi censentur, cum militi donantur. Deinde res mobiles donatae militi, in peculio castrensi non computantur: nisi in tribus casibus, videlicet, cum donantur, ad emendas res castrenses militare, vel si mulier, ff. de castrensi pecul. vel cum donantur a commilitone vel eo, qui solum est notus ex militia, vel castris, vel cum ex castrensi peculio comparantur, l. si mulier modo citata.

Duodecimo quaeritur, Vtrum quod donatum est filiofamilias aduocato, vel qui fungitur alio publico munere & officio, in peculio castrensi censetur? Bartolus in tract. de duobus fratribus, ita distinguit: Aut est necessarium & aptum ad tale officium obendum: & tunc in peculio quasi castrensi computatur, siue a parente, siue ab extraneo donatum sit. Aut non est ad talis muneris functionem idoneum & ad peculium quasi castrense non pertinet. Quid si ipsi filiofamilias nullum publicum munus gerenti quidpiam donet aliquis, & exprimat, ut illud in peculio, quasi habeat? Responderi ille, non esse peculium quasi castrense,

ex l. si forte ff. de castrensi pecul. in bonis tamen aduentitiis computari; sed ita, ut pater usufructum non habeat.

Decimo tercio quaeritur, An libri quos pater emit sui filij causa, in peculio quasi castrensi habeantur? Bartolus in l. 1. §. Nec castrense, ff. de collationibus bonorum & cum sequitur Angelus verbo peculium nu. 10. Silo. peculium i. qu. 8. distinguunt. Aut pater solum emit filij nomine, sed non dedit donavit ac tradidit, & tunc ad patrem pertinet, l. 1. C. de castrensi pecul. lib. 12. aut emit nomine filij, & ei donavit, ac tradidit & tunc si filius eo tempore aduocatus, vel Doctor est, in peculio quasi castrensi numerantur. Si aduocatus, vel Doctor non est, sed tantum disciplinae iuris dat operam, & ante mortem patris, studium absoluit, ad peculium quasi castrense pertinent, quia tunc filius incipit quasi militare. Si vero literarum circulum non compleuit, in bonis quasi castrensibus non censetur, quia filius non gaudet eo privilegio, quo Magistri & Doctores, l. 1. ad finem. C. de iudicibus liberalibus, lib. 11. Addit Siluester in verb. peculium i. q. §. Angelum sequutus eo verbo, peculium, num. 10. Si pater filio, qui emancipatus non est, libros donavit: sed eos adeptus non est, nisi post emancipationem, tunc libelli in ius filij transferunt, eo quod donatio confirmetur, l. siue emancipatus. C. de donationibus & l. donationes in concubinarias, §. pater ff. eod. tit. Idem, ait Siluester, iuris est, de quilibet re donata a patre filio emancipato, vel etiam ei qui emancipatus non est, si post emancipationem voluntate patris possideat, l. siue emancipatus praesentia. Item praedicta donatio patris obitu confirmatur gratia studij literarum, etiam si filius emancipatus non sit, quando vero dubitatur donauerit necne pater? Coniuncturis, inquit, Bartolus, est res deservenda. Praeter eadem Bartolus in Auth. ex testam. C. de collat. docet, si quid donatum est a patre filio emancipato, communicatur cum fratribus post mortem patris & computatur in partem legitimam filij. At si quid donatum est a patre filio nondum emancipato, quamvis donatio, dum vivit pater, non valeat, post obitum tamen eius vim sumit & legatum censetur, l. in donationem, & ad legem Falcidiam, §. l. donationes. C. de donationibus inter virum & uxorem. Et sicut legata, & si de commissa ad collationem non venient, l. penult. C. de collat. sic nec talis donatio, nisi quando contingit inter fratres inaequalitas, l. penult. C. de vel cum pater expressit, ut cum fratribus communicaretur, vel si quando §. penult. C. de officio testam. vel quando donavit, ut filius in peculio haberet, l. si dona. C. de collat.

### C A P. XXIII.

#### Aliae quaestiones de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus diluuntur.

PRIMO quaeritur, Quae bona speciatim castrensis censentur? Respondeo, omnia militum stipendia, & quae bello milites acquirunt, siue sunt praemia, siue praedia ex hostibus reportata, l. castrensis ff. de castrensi peculio, §. l. 1. C. eod. tit. lib. 12. §. l. 1. §. Item in Nayarcho, ff. de bono. possess. ex testamento militis. Bonae item quae acquirunt ministri militares, dummodo exercitum comitentur, l. ultima, C. de castrensi pecul. lib. 12. Ea item quae conficiuntur, quicunque militare munus obeunt: in quibus censentur, qui naubus, aut tritemibus ad pugnam destinati praefecti sunt, & remiges & nautes, l. unica §. Item de Nauar. supra citata. Inter milites etiam habentur, qui castris, arcibus, oppidis, vel alijs locis praesunt, ut eorum curam habeant, dum in eis ad custodiam sunt milites constituti.

In castrensibus etiam bonis computantur, quae quippiam acquirunt, eo quod in palatio Regis versentur, estque in famulatu regio, l. 1. C. de castrensi omnium palatino. pecul. & quae quis habet a parentibus, ut in summa ea, dum est in palatio, & famulatu Regio. Item lucra, quae filiusfamilias facit ludendo aut negociando, & utendo peculio castrensi, nam in l.



Pater militis, §. si seruus ff. de castren. pecul. sic est: si seruus ad castren. pecul. filij spectat, aliquid, acquirat, cadit illud castren. peculio.

Secundo queritur, Quae bona speciatim quasi castren. habentur? Respondeo, quae acquiruntur ex munere & officio publico, vt Aduocati, h. de Aduocati. diuersi, iudic. Talia sunt quae acquirunt Tabelliones, Iudices, Medici, & qui vnam aliquam ex septem Artibus liberalibus proficiunt. Pari ratione qui Theologiam, Ius Pontificium, vel Civile, vel medicinam docent. Denique quae acquiruntur ex quavis publica administratione, propter quam publicum stipendium sic constitutum: vt si ad utilitatem publicam, stipendium daretur ei, qui adolecentes, vel iuuenes doceret artem equestrem, vel militarem, vel nauticam, vel aliud quoduis simile munus, l. vlt. C. de inoffic. testam. Syluester in verbo peculium 1. quaest. 9. & 10. Nauarrus in Manuali, cap. 17. nu. 142.

Quaeres, an stipendia quae acquirunt artifices, vt fabrici lignarij, lapideae, & alij similes opifices, in bonis quasi castren. numerentur? Respondeo Syluester, loco citato: ad bona quasi castren. non pertinere, eo ipso quod sint stipendia publica, nisi sit quoque publicum munus & officium, vel ad publicam utilitatem, causam & bonum spectet, vel ex publico aere solutum, cuiusmodi sunt officia Aduocatorum, Medicorum, Aflessorum, Iudicum, Magistratum.

Quid dicendum de Notariis? Respondeo, si ex publico aere stipendium accipiant, id numeratur in bonis quasi castren. sibus, quales sunt Notarij communis, vel aliquis publico officio fungentis.

Quid dicendum de Nautis, Remigibus? Syluester in verbo peculium 1. q. 11. quod acquirunt in classibus ex bellico apparatu, habentur in bonis castren. sibus, siue quasi castren. sibus, quando est publicum stipendium.

Si quaeres, an etiam stipendia, quae acquirunt Aduocati, Medici, Tabelliones, vel artium liberalium Doctores non a Republica, sed a priuatis hominibus, quorum gratia suo munere funguntur, artem exercent, in bonis quasi castren. sibus computentur? Respondeo Syluester loco citato, ex sententia Bartoli, & Baldi, computari, quia olim stipendium publicum dabatur: nunc vero pro stipendio publico habent, quod a priuatis ciuib. exigunt. Vnde in bonis etiam quasi castren. sibus censentur libri, qui Aduocato, aut Medico, aut artium liberalium Doctori a parentibus, vel a quouis alio donantur, & equus, qui ad inuendos infirmos Medico datur, & pecunia donata ad haec & similia comparanda, & quae ex tali pecunia comparantur. Praeterea si quid donatum est filiofamilias a Rege vel Regina, vel Principe ad bona quasi castren. pertinet. l. cum multa, C. de bon. qua. lib.

Tertio queritur, Quae bona speciatim aduentitia censentur? Respondeo ea omnia, quae a matre, vel ab auiis maternis filiusfamilias habet. Eadem ratio est alicubi de ijs bonis quae filiofamilias a paternis aui. veniunt, iuxta peculiaria statuta ciuitatum, vel populorū, vel Constitutiones Principum, quae decernunt, vt possit aui. paternus tertiam partem suorum bonorum, vel quintam, vel etiam tertiam simul, & quintam relinquere vni de suis nepotibus, cui ipse maluerit.

In bonis item aduentitiis numerantur, quae filiusfamilias aliunde habet, quam a patre, aut proxime causa patris, dummodo castren. sibus, aut quasi castren. sibus bona non sint.

Quarto queritur, Quomodo intelligendum sit id, quod ius constituit, videlicet, vt pater habeat vsum fructum in bonis filij aduentitijs? Respondeo, penes patrem esse, quamdiu vivit, talem vsum fructum, etiam si morte filij desinat patria potestas, & quamuis dominium, siue proprietates obitu filij ad alium, quam ad patrem deueniat. l. vlt. §. Sin vero defuncta, C. ad Senat. u. consuetum. Tertulianus l. vlt. ad finem. C. Communia de successio. lib. l. quod sitis. §. 1. quae cumq. C. de bonis qua. lib. Ex quo fit, vt quando aliqui nuptias contraxerunt arth. & dote datis & acceptis, si filiusfa-

miliis de viuis excedat, dimidia pars eorū bonorum, quod artinet ad dominium & proprietatem, iure hereditario ad matrem deueniat, & dimidia ad patrem: integer tamen vsum fructus eorū omnium bonorum pertinet ad patrem dum erit in viuis.

Quinto queritur, quatenam bona profectitia speciatim habeantur, Respondeo, Quae filiofamilias ex bonis patris aut proxime & principaliter eius causa proueniunt. Instituitur. Per quas personas nobis acquiritur, §. Igitur. versic. sanctum est, ex l. Cum oportet, C. de bonis qua. lib. dixi: (Aut causa patris proxime, & principaliter) quia aliquando ad filiumfamilias bona proueniunt causa quidem patris, sed non proxime & principaliter. Verbi gratia, pater causa fuit, vt filius eius familiaritatem cum aliquo contraheret, hic vero in filium tanquam familiarem sibi amicum, vel socium multa bona contulit, tunc eiusmodi bona aduentitia sunt non profectitia, quia non proxime & principaliter causa patris donata sunt filij. sic Bartol. in l. cum oportet, C. de bonis qua. lib. et in l. solum, §. vlt. ff. Pro socio. Angel. verbo peculium nu. 13. Syluest. in verb. pecul. 1. q. 15.

Sed quid dicendum, quando dubitatur, An sit donatum aliquid filio gratia ipsius, an gratia patris, Respondeo Bartolus in tractat. de duobus fratribus, numer. 7. & 8. coniecturis rem esse decernendam: quibus consideratis, si adhuc res sit ambigua, tunc melior est conditio possidentis. Ita vt si filius ea bona tanquam propria possideat, tunc bona aduentitia censentur; contra vero, si pater possideat, tunc profectitia habeantur. Sic etiam Angel. & Syluest. locis citatis.

Sexto queritur, An in bonis aduentitiis numerentur quae filius ex re, vel pecunia patris sua industria, labore, arte, & diligentia lucrificet, Puta si quid acquisiuit colendo agrum patris, aut pecuniam eius exponendo negotiationi. Communis videtur esse sententia, ea bona esse profectitia, non autem aduentitia. Sic Glos. in l. cum oportet, in verb. ex eius substantia, C. de bonis qua. lib. Sic etiam Azco Speculator & alij, quos refert Syluest. in verb. peculium, 1. q. 12.

Alij vero ita distinguunt: Aut lucra quae filius acquirat solum ex pecunia vel re patris proueniunt, vt si fundum patris colono locauerit, aut pecuniam mercatori crediderit, vt negotietur: aut vtrinque, videlicet, partim ex re patris, partim ex industria. Quae primo modo contingunt omnino sunt patris: quae secundo, sunt bona aduentitia filij: quae tertio, partim sunt profectitia, partim aduentitia; & ita pars dimidia eorum pertinet ad patrem, altera dimidia ad filium. Sic Bartol. in l. cum oportet, C. de bonis qua. lib. et Angelus verbo peculium, numero 11. Rosell. eod. verbo, numero 7. & 8. Antonius Gomes in l. 29. Taurina, numero 24.

At Nauarrus in Manuali cap. 17. nu. 244. & 161. aliter distinguit: Aut filius ita bona patris administrat industria sua, vt sui laboris, & industriae stipendium mereatur: Aut ea bona administrat consueto more, quo ceteri fratres. Si primo modo, tunc aduentitium est peculium totum illud stipendium, quod eius labor & industria meretur, dummodo expresse constet se huiusmodi stipendium velle; alioqui enim videtur id facere amore, & pietate in patrem, iuxta id quod habetur in l. Nescimus. ff. De negotijs gestis. Si vero secundo modo administrat, tunc totum quod acquirat, censetur peculium profectitium.

Ceterum communis sententia amplectenda est, videlicet, Quodcumque filius cum suis parentibus habitat, & ex eorum bonis sustentatur, si ex bonis patris suo labore & industria lucra facit, ea lucra, profectitia bona censentur, quia cum bona patris hoc modo filius administrat, damna & pericula ad patrem pertinent: ergo etiam emolumenta & commoda.

Item sicut quod acquiratur ex opera serui, ad dominum pertinet: sic patris est, quod filiusfamilias acquirat ex operis suis. Secus vero est, si filius; aut non sit in potestate patris, aut extra domum patris commoretur, & non alatur



à parentibus, & sua opera, & industria lucrifaciat, & seipsum sustentet, & aliat. Tunc enim si damna, & pericula ad ipsum spectent; merito commoda quoque ac emolumenta ipsius erunt, ac proinde lucra quamvis ex patris re, vel pecunia comparata, bona in filio aduentitia erunt, tanquam laboris eius, & industriae fructus. Sic Siluest loco citato Glossam, Speculat. & Azon. sequutus.

Septimo quaeritur, an pater usufructum amittat, quem habebat in bonis filij aduentitiis, eo ipso, quod filius eximatur à patria potestate, vel ob ætatem perfectam, vel ob dignitatem obtentam? Respondeo minime iure communi, quamvis alicubi extent statuta ciuitatum, & populorum, vel Principum Constitutiones, vt egresso patriam potestatem filio, usufructus, quem pater in eius bonis habebat, finiatur, & ad filium vna cum proprietate pertineat.

Item iure communi, cum filius patriæ potestatis iure soluitur, ob aliquam dignitatem exiit, quæ numerantur, in lege vltima, C. de Decurionibus libro decimo, & Auth. Constitutio que de dignitate in principio, & Auth. Sed Episcopalis dignitas, C. de Episcop. & Cleric. tunc pater desinit usufructum habere, quem in bonis filij habebat, vt ait Greg Lopez l. 15. tit. 15. par. 4. Iure autem communi pater, qui filium emancipauit, dimidiam partem usufructus in bonis filij retinet, & dimidia pars pertinet ad filium, vt superius dixi: tamen si iure etiam specia à alicubi vigeant statuta, vt tunc pater totum usufructum amittat.

Octavo quaeritur, An filiusfamilias, ita utriusque & arbitrari possit de bonis castrensibus, & quasi castrensibus testari, vt etiam in testamento parentes prætereat, testamentum ratum sit & firmum & patri prætermisso nullum ius remaneat dicendi, nec non etiam allegandi nullum esse testamentum, aut certe inofficiosum? Respondeo, iure veteri & Digestorum, Codicis ius fuisse filiofamilias prætereundi, vel exheredandi patrem in testamento, quod de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus faciat, l. vltima, C. de inofficio. testam. At patri militi liberum non erat filium prætereire, vel exheredare sine debita causa, & expressa, tamen si testaretur de bonis castrensibus, nisi cum testabatur iure militari, nimirum dum in militia ipsa versabatur, vel intra annum à militia expleta, l. Papinianus §. Papinianus, & l. si in statu, §. de inofficio. ff. inofficio. testam.

At dubia quaestio est, an nouo iure Authenticorum licitum sit filiofamilias prætereire, vel exheredare parentes in testamento, quod condit de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus: Quidam teste Couarruuia in cap. Quia nos. de testam. num. 6. & 7. sentiunt id fas esse, quamvis portio legitima iusta, & debita peti possit à parentibus prætermisiss. vel contra ius exheredatis.

Sed certe verior est contraria sententia communi consensu recepta. videlicet, testamentum filijfamilias, vel militis de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, nullum vel inofficiosum esse nouissimo iure Authenticorum, si contra leges, & iura ascendentem, vel descendentem prætereat, vel exheredet. Sic Barcolus in Auth. ex causa. C. de libe. præteri. quem ibi ceteri præsertim Alexander, Inson, teste Couarruuia sequuntur. & Glossa in l. Papinianus, supra citata, & Paulus in l. 1. ff. de inofficio. testam. Nec obstat, quod leges & iura dicunt, filiumfamilias libere de peculio castrensi, vel quasi castrensi posse testari: Nam nihil aliud significat, nisi eos non prohiberi quin testari queant.

Nono quaeritur, quodnam peculium in Clerico, qui est filiusfamilias, sit castrense, vel quasi castrense? Respondeo cum communi sententia, quam habet Couarru. de testam. ca. quia nos. numero primo, omne peculium, quod filiofamilias laico est aduentitium, in filiofamilias Clerico est castrense. Immo Flostien Antonius Cardinalis, Abbas, Imola Anchar in cap. quia nos, de testam. Paul. Barbat. in l. Sacrosancta, & in Auth. Presbyteros, de Episc. & Cleric. ac proinde omnia bona, quæ Clericus post susceptos ordines acquirit aliunde, quam ex bonis Ecclesiæ, in bonis castrensibus,

vel quasi castrensibus numerantur. Auth. Presbyteros, prima C. de Episc. & Clericis. Talia sunt, quæ ex officio suo, vel ex sui beneficij redditibus, vel aliunde, quam ex bonis Ecclesiæ acquirit: quia bona, quæ ex rebus Ecclesiæ acquirunt, sua non faciunt, sed ipsius Ecclesiæ.

Dixi etiam post ordines susceptos quia bona aduentitia, quæ ante ordines adquisierat, non transeunt in castrensia, vel quasi castrensia: & ideo pater in his usufructum retinet quamvis nullum usufructum acquirat in bonis, quæ filio post ordines susceptos proueniunt aliunde, quam ex Ecclesiæ.

Decimo quaeritur, An de omnibus prædictis bonis possit iure communi testari filiusfamilias? Respondeo expleto pubertatis anno testari posse de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus absque patris consensu: de aduentitiis vero etiam in ipsis plenum dominium, & usufructum habeat, testari non posse etiam parte consentiente. Insti. Quibus non est permittum facere testam. in principio, l. Quis potestato. ff. de testam. l. Senium, & l. penul. C. Qui testam. facere possunt. Et cap. licet, de sepultis. in 6. & ita communis sententia, quam habet Couarru. in rub. de testam. par. 3. num. vlt. Iulius Clarus lib. 3. Recepta. sententia. §. testamentum, g. 18. Anton. Gom. in l. 5. Taurina.

Porro annus quartus decimus in masculis, & duodecimus in feminis expletus debet esse: dies tamen vltimus incepsus, habetur pro completo. l. Quis etate, ff. de testam. Nec ad testamentum faciendum sufficit, vt in Actia ætatem suppleat: nec enim filius ante annum quartum decimum, quamvis iudicio vigeat, & sit satis rationis compos vllum testamentum facere potest, teste Ant. Gom. in l. 3. Taurina cum Bald. & aliis.

Quæres, An filiusfamilias possit iure communi donare aliquid causa mortis ex bonis aduentitiis ipsi patris consensu? Respondeo ex communi sententia posse, Couarru. in rub. de testam. p. 3. nu. 7. 8. & 9. Dices, Qui testamentum condere non potest, eo ipso nequit codicillam, neque donare causa mortis, Respondeo, id non semper verum esse: ac ita id in præsentem locum non habet. Sed cur prohibetur filiusfamilias testari etiam nupti, & voluntate patris de bonis aduentitiis, & non prohibetur donare causa mortis, patre consentiente? Respondeo leges & iura primum veruisse, secundum non item, quia testamentum, maritum & plenius iudicium in testatore postulat. Item, facilius homines trahuntur ad testamentum faciendum, quam ad donandum gratis, & liberaliter.

Quæres, An filiusfamilias testari possit de bonis aduentitiis, ad pias causas, absque consensu patris. Sentit Bartolus in l. qui in potestate ff. de testam. id posse, quando in bonis aduentitiis plenum dominium, & usufructum habet. Sed communis sententia, teste Couarru. in rub. de testam. p. 3. nu. vlt. negat id posse, nisi accedat patris voluntas. Abbas in rub. de testa. Couarru. in rub. de testa. p. 3. num. vlt. & id reuera colligitur ex cap. licet de sepultis. in 6. vbi Pontifex ait: Quamuis filiusfamilias absque patris assensu sibi possit libere eligere sepulturam, pro anima tamen sua, præter ipsius assensum, nisi peculium castrense, aut quasi castrense habeat, aliquid indicare non potest. Sic ibi. Nimirum noluit Ecclesia patrem iure spoliare, quod habet in filium, quamdiu est in patria potestate. Docet itidem Iulius Clarus lib. 3. recepta. sententia. §. testam. g. 5. ad finem, vna cum aliis, quos ille citat. si filiusfamilias annuente patre, testetur ad pias causas, ita tamen vt solum de certa bonorum parte, consensu patris testamentum faciat, & nihilominus plura ad alias causas, quæ pias non sunt, leges eiusmodi legata vim & locum non habere, nec accretere alijs pijs legatis, sed hæredibus ab intestato venientibus deferri.

Sciendum est, alicubi vigerent statuta ciuitatum, & populorum, vel constitutiones Principum, quibus decernitur, vt filius siue filiafamilias, postquam impubes euaserunt, possint facere testamentum de bonis aduentitiis, perinde ac si soluti essent iure patriæ potestatis, ita vt de tertia, quarta vel quinta suorum bonorum parte libere stantur, dum-



modo parentibus suas debitas partes relinquunt. Et tunc si filius familias iuxta hæc statuta aliquid ex bonis aduentitij, in quibus pater vsumfructum habet, extraneo relinquat, & legat, pater dum vivit vsumfructum retinet: post eius vero obitum legata filij impletur omnino, nam filiofamiliasius testandi non conceditur, nisi seruato iure patris, quod habet in bonis filij. Sic Baldus, & alij, quos referunt Molina libr. 2. de primogenit. capit. 9. numer. 22. Arias Pinellus in l. i. c. de bonis maternis, p. 1. numer. 44. quamuis contrarium scripserit Antonius Gomes in l. 6. Taurina n. 13.

### CAP. XXIIV.

De donationibus inter patrem, & filiumfamilias: & de his que post mortem patris filiusfamilias conferre cæteris fratribus debet.

PRIMO quæritur, Vtrum inter patrem, & filiumfamilias donatio iure communi subsistat? Respondeo nec patrem filio, filiumve familias donare posse nec è contrario l. C. de impuberi. & alij substitutio. Donatio itaque facta à patre filiofamilias non valet, nisi rem donatam pater filio tradiderit: & tunc, etiamsi tradiderit, ius est patri, dum vivit, donationem reuocare: & si non reuocat, patris obitu confirmatur: Ratio legis est non solum, quia pater & filiusfamilias quasi vna persona censentur: sed ne patris nimio in filios amore fiat in donando profusior. Duo tamen casus excipiuntur, in quibus pater potest iure communi donare filiofamilias: Primo, dotis, vel alimentorum causa, vel propter nuptias, l. Pomponius Philadelphus, ff. familia hereticum. Secundo, potest pater filiofamilias eunti in castra, siue causa militie, res mobiles, siue mouentes donare, l. si filiusfamilias, C. familia hereticum. Ex his deducitur, posse patrem filio donare aliquid, vt habeat in patrimonio ad ordines suscipiendos; filia; ad ingressum in Religionem: Item, tum filio, tum filia; vt à seruitute, vel captiuitate redimatur: Item vt à vinculis, vel pœnæ criminis liberetur, vt munus publicum, vel dignitatem consequatur, vt sacram, vel necessariam peregrinationem suscipiat. Non tamen dubium est, quin possit pater remittere vsumfructum quæ habet in bonis filij aduentitij, vt l. cum oportet, §. si in autem, C. de bonis, qua lib. tunc enim nihil donat de suo, sed remittit solum ius, quod habebat in filij bonis.

Secundo quæritur, quænam bona filiusfamilias sibi à parentibus donata conferre cæteris fratribus, hoc est, ad collationem afferre debeat post obitum parentum? Respondeo, donationes inter patrem & filium duplicis generis esse: Aut enim sunt ob causam, cuiusmodi sunt donationes factæ filia; dotis causa, vel filio propter nuptias, vel ob militiam, vel ob Ordines Ecclesiasticos suscipiendos, vel ob ingressum in Religionem, vel ad munus & officium publicum, vel dignitatem assequendam, vel ob peregrinationem, vel ad liberandum filium à seruitute, & captiuitate, vel ob alimenta. Tales etiam sunt donationes quæ remuneratoriæ dicuntur: vt cū pater aliquid filio donat ob laborem, industriam, & operam, qua patris negotia filius gessit, vel ob quælibet alia beneficia, quibus filius est de patre benemeritus. Aliæ donationes sunt, quæ absolute & simplices vocantur, quibus pater aliquid filio donat gratis & liberaliter, quamuis donet precibus ipsius filij vel aliorum inductus, & motus.

His positis, frequenter quæ pater filio donat ob causam conferre filius cæteris fratribus debet post obitum patris, quia ea in legitimam portionem computare debet nisi pater expresserit ea, ne filius conferat, & dummodo pater de ijs bonis possit & arbitratu suo statuere. Talia sunt: quæ donat pater filia; causa dotis, vel ad ingressum in Religionem, & quæ donat filio propter nuptias, vel in patrimonium, ad Ecclesiasticorum ordinum susceptionem

iuxta ea, quæ habentur in Auth. Ex testam. C. de collat. & Auth. de Trion. & semisse, §. cum quoque, & docet Gloss. in Auth. citatis. Couar. de testam. c. Raynal. §. 2. num. 7. & Anton. Gomes in l. 29. Taurina num. 12. Anton. Lopez, l. 4. tit. 16. parita sexta. Unde dos data, aut promissa filia; computari debet in legitimam portionem eius, si sua filia vna cum cæteris fratribus eius velit in hæreditate paterna succedere. Idem iuris est de eo quod pater filio donauit propter nuptias.

Porro quicquid pater donat ob alimenta vel causa eius, quod ad alimenta pertinet, filius non cogitur cæteris fratribus conferre, quia parentes alimenta filijs debent; immo potest pater filio postquam duxerit vxorem, alimenta præbere, quibus filius se ipsum, vxorem, & familiam commode sustentet, dum aliunde non potest. Potest etiam pater vni filio largiora, & potiora alimenta præbere, modo ne fraudem cæteris filijs faciat. Quod si pater filio fundum, aut aliam rem immobilem loco alimentorum dederit, cuius ex fructibus quotannis se filius sustentet; debet filius computare in legitimam portionem æstimationem fundi sed non fructus annuos ex fundo perceptos.

Cum his quæ filio pater donat propter nuptias, computatur, si quid donauerint parentes sponse, vel vxori filij, videlicet, si donauerint torquem aureum, vestes a iure ornamenta, iuxta civitatis, populi vel gentis consuetudinem, l. Vt à liberis, l. illam, & l. illud, C. de Collatio. Impensas vero, quas faciunt parentes in solemnibus conuiuio, vel celebritate nuptiarum, non coguntur filij conferre cæteris fratribus. Sic Bartol. in tractatu de duob. fratribus §. l. i. §. Nec castrense ff. de collat. bon. Bald. & alij, quos citat & sequitur Nauar. in Manual. c. 17. numer. 165. Ratio est, quia huiusmodi impensæ ad honorem ipsorum parentum spectant. Deinde, quia omnium fratrum sunt communes. Idem iuris est de impensis, quas parentes fecerunt in solemnibus conuiuio, cum filius Clericus primum sacrum fecit; aut cum filia Religionem solemniter voto promisit; aut cum filius ad gradum Magistri, vel Doctoris honorificum promotus est, hæc enim, & similia ad munus & officium, & decus & honorem pertinent parentum. Eadem ratione non cogitur cæteris fratribus conferre sumptus, vel impensas, quas fecit pater, dum filium in studio liberalium artium sustentauit: tales enim sumptus inter alimenta filij debita computantur nisi pater sint bona filij castrensia, vel quasi castrensia, vel aduentitia tunc enim videtur pater impensas fecisse ex bonis filij dictis, nisi contrarium expresserit. Bart. in tract. de duob. fratrib. nu. 16. §. l. i. §. Nec castrense, n. 8. ff. de collat. bon. Silau. in verb. peculium l. q. 8. Nauar. in Manuali. c. 17. nu. 160. Antonius Gomes in l. 29. Taurina n. 16. Id autem colligunt hi Auctores ex l. vlt. ff. de petit. hered. §. l. Nofennius ff. de negotijs gestis. Potest autem pater, si velit, exprimere, ne huiusmodi impensas filius in suam legitimam portionem computet, quamuis pater habeat bona propria filij apud se. Quando vero pater dotem filia; promittit, aut filio aliquid propter nuptias, potius creditur, nisi aliud expresserit, de suo promittere, & donare, quam de filij, vel filia; bonis, l. vlt. C. de dotis promiss. Idem iuris est de libris quos pater emit nomine, aut causa filij, ob studium literarum, & de impensis, quas pater fecerit, vt filius peregrinationem susciperet, vel à captiuitate, seruitute, vinculis, & pœnæ trinitus liberaretur. Siluest. in verb. peculium l. q. 14. Nauar. in Manual. c. 17. numer. 165. Anton. Gomes, in l. 29. Taurina num. 15. & 20. Bartol. in l. Stichus de peoul. §. l. Liber captus, C. de captiuis, & possim. hæc enim pertinent ad alimenta filiorum, & ad honorem ipsorum parentum. Eadem est ratio de eo, quod pater impendit, vt filius itet in castra, vel militiam, vel vt ad officium publicum, dignitatemve, vel ad gradum Magistri, vel Doctoris honorificum promoueretur. Hæc omnia vim & locum habent in iure communi: nam statuta ciuitatum, vel populorum, vel constitutiones Principum multa in his præter vel contra ius commune statuere possunt, & sæpe decernunt.